

De scorbuto : dissertatio inauguralis historico-medica ... / auctor Fridericus Vettin.

Contributors

Vettin, Friedrich.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Fratrum Schlesinger, 1843.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eryjvdyk>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

6 6
DE
S C O R B U T O.

DISSERTATIO

INAUGURALIS HISTORICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS VETTIN

SEDINENSIS.

OPPONENTIBUS:

W. NUERNBERGER, med. et chir. Dr.

Th. SCHLEMM, med. et chir. Cand.

Mr. KIRKPATRICK, philol. Stud.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

SCOTT'S

THE

UNIVERSITY

OF

EDINBURGH

THE

LIBRARY

OF

THE

UNIVERSITY OF EDINBURGH

OF

EDINBURGH

OF

THE

OF

EDINBURGH

OF

THE

OF

EDINBURGH

OF

THE

THE UNIVERSITY OF EDINBURGH

VIRO

AMPLISSIMO, ILLUSTRISSIMO, NOBILISSIMO

DE MITTELSTAEDT,

REGIS A CONSILII CIVITATIS REGUNDAE INTIMIS SU-
PREMIS ETC.

PATRONO SUO INTEGERRIMO

1870

AMERICAN LIBRARY, NEW YORK

THE AMERICAN LIBRARY

OF THE AMERICAN LIBRARY

NEW YORK

AMERICAN LIBRARY

FRATRI

SUO DILECTISSIMO

MAXIMILIANO VETTIN,

JUDICII PROVINCIALIS SUPREMI ASSESSORI

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quantae utilitatis sit historia artis medicinae ad exigendas hujus rationes regulasque, ex dignitatis fastigio, ad quod scientia nunc pervenit, optime potest perspici. Investiganti oculos quasi aperiens, inter alia etiam leges, quibus morbi eorumque epidemiae pareant, summas, et eosdem ut organismos, progigni, increscere et acmen adeptos decrescere, quin immo omnes epidemias singulares ad unam quandam magnam, quae iisdem obsequatur legibus, pertinere docet historia. Aliae hujus generis jam extinctae sola memoria traduntur, aliae adhuc crescunt, velut febris scarlatina, aliae decrescunt, velut syphilis et scorbutus, cujus de historia quaedam afferre nobis proposuimus. Eorum, qui ipsi oculis videbant calamitates, scripta legens quisque mente percipiet, quantum ad se verterit omnium animos hic morbus perniciosus antehac fere inauditus. Antiquissimorum de scorbutu scriptorum sunt Ech-

thius, Wierus, Rousseus, Dodonaeus, Salomo Albertus, quorum libris usus sum, itemque L. Hoffmann, et ille Ill. Lind, qui de hac materia optime disseruit. Bonae enim ex multorum scriptis magno cum ingenii acumine eligens, auxit aut affirmavit propria sua experientia. In eoque quoque fere omnia recentiorum opera nituntur. —

Scorbuti nomen ex voce Danica et Belgica „Schörbeck“ et chorbeck,“ quarum altera lancinantia ventris vermina, altera buccam ulceratam designet, jam Salomo Albertus, unus ex antiquissimis de scorbuto scriptoribus, deflexum esse statuat. Magis tamen probanda mihi videtur Lindii conjectura, quae ex voce Slavonica „Scorb“ morbum quendam endemium significante originem educit. Praeter hoc usitatissimum nomen alia quoque reperiuntur: Schürmund, Schaarbuk vel Schaarbock, Scherbock. Praeterea Anglorum Scuroy, Batavorum cheurbugk vel Schoorbuge huc pertinent. Hollandi a maculis in cruribus potissimum, sed nonnunquam etiam universo corpore conspicuis Blawschuyt vocem mutuati sunt. In antiquae aetatis scriptoribus nomen Scorbuti nusquam reperitur (1). Diu igitur in dubio versati sunt medici, utrum

(1) Qui nomen scorbuti huic morbo primus attribuerit, Albertus Cranzius fuisse fertur, ut memoratur in Escapoti libro de nova Francia anno 1604 edito. Postea anno 1570 Georgius Fabricius in urbis Misniae annalibus mentionem ejus facit. Euritius Kordus in botanilico a. 1534 scripto scorbutum commemorans, primus morbum eundem esse

morbus supra nominatus veteribus notus fuerit, an nuper sit ortus, valdeque disputaverunt viri ingeniosissimi; sed incorrupte integreque diversa de hac re scripta judicanti satis manifeste ac perspicue, scorbutum re vera veteribus notum fuisse, patebit. Temporibus vero procedentibus pejorem accepit indolem, ita ut multa, quae veteres tantum rudimenta noverunt, symptomata exstiterint letifera.

Prima hujus morbi mentio in Hippocratis (1) scriptis occurrit. „Alius lienis morbus (haec sunt verba) ab iisdem quidem, ex quibus et prior oritur, eoque modo hoc morbo afficitur. Venter efflatur, postea vero lien intumescit, durus est eique dolores oculi contingunt: color immutatur et niger cernitur, subpallidus et qui mali corium forma referat, et aure et gingivis gravis odor exhalat, eaeque a dentibus

quam Plinii stomacacen et scelotyrben intellexit. Paulo post Joh. Agricolanus (1539) in medicina herbaria morbum multis verbis descripsit, et Olaus Magnus in historia nationum borealium et morborum iis peculiarium anno 1555: „Es enim, inquit, et alius morbus castrensis, qui vexat obsessos et inclusos, talis scilicet, ut membra carnosae stupiditate quadam densata et subcutaneo tabo quasi cera liquescens digitorum impressioni cedant, dentesque veluti casuros stupefacit colores cutium candidos reddit coeruleos torporemque inducit cum medicinarum capiendarum nausea, vocaturque vulgari gentis lingua Scorbut. Frigidi enim et indigesti cibi avidius sumpti morbum hujusmodi causare videntur, qualem medicis cachexiam universalem nominant.“

(1) V. Lib. de affectibus internis.

cessionem faciunt et in tibiis ulcera qualia pustulae no-
 arnae erumpunt, membra extenuantur neque stercus per
 rum dimittitur. Plurima haec symptomata cum scorbuticis
 ingruunt. Color niger saepe observatus est atque ipse
 nert apud quosdam nullas maculas erumpere dicit, aliis
 a crura colore violaceo tingui, ut tibialia ejus coloris
 per inducta putares. Alio loco Hippocrates convolvu-
 a sanguineum describens, symptomata nobis affert, quae
 e dubio ad malum nostrum pertinent. „Odor ex ore
 lus est, gingivae a dentibus abscedunt, sanguis e naribus
 luit. Interdum vero ex cruribus ulcera erumpunt, et haec
 idem fatiscunt alia vero exoriuntur. Color niger est et
 tis tenuis. Aegrotus ad deambulationem et ad laborem haud
 omptus est. Crura ejus gravantur et si deambulet tremunt, et
 per acclivem locum iter faciat, crebro admodum spirat
 ulnae suspensae videntur.“ Convolvulum appellari mor-
 m (pergit), ex hisque praecipue causis oriri: si quis
 ida et humida victus ratione per hiemem utatur neque
 orum ratione habita obambulationibus se exerceat, rerum
 pletus dormiat, deinde derepente longum iter per frigus
 aficere cogatur. — Accuratus perpendenti hoc deducen-
 m esse mihi videtur, Hippocratem quidem symptomata
 merasse, quae sine ulla dubitatione ad scorbutum per-
 eant, neque tamen morbi naturam cognovisse, quod mi-
 ne mirandum, quum rarissime in illis, ubi Hippocra-
 s vixit, regionibus existens morbos praecipue aliorum
 dominis vitiorum patientes iisque debilitatos invaserit.
 Nabathaei in felici Arabia et eo adventantes Romani^v illum
 pessi fuisse videntur Augusti Caesaris aevo. Hujus

enim imperio, quum in Arabiam exercitum Romanum traduxisset, Strabo scribit, qui eodem tempore vixit. Aelius Gallus, eum in ipsa expeditione relinquere coactus est in albo vico, maximo Nabathaeorum emporio, ubi aestatem et hiemem transigere eundem oportuit, ut reficerentur infirmi: quando quidem oris et crurum caeterisque ejus loci vitiiis tentabantur exercitus, quorum illa circa os, haec circa crura resolutionem quandam fuisse ob aquas et fructus provenientes.

Medici vel Graeci, qui apud Romanos fuerunt, vel Latini linguae Graecae periti, qui in illis bellis exercitus Romanos sequuti sunt, ex symptomatibus, quae maxime tum in ore, tum in tibiis apparuerunt, nomina Graeca imposuerunt, ut morbus „stomacace“ ab oris vitio, „scelotyrbe“ a tibiarum laesione infertioneque appellaretur. Voces enim haec neque ii, qui Germanicum Caesarem comitabantur medici a Frisiis accepere, qui tunc temporis medicis maxime doctis et linguarum peregrinarum usu peritis caruisse videntur, ut apta morbis nomina Graeca formare nequiverint: si quos habuerint, hi fuere patrii et eruditionis exiguae. Neque ab Arabibus vel Nabathaeis, easdem voces didicere medici Aelium Gallium sectati. — Alius auctor Plinius Romanos iisdem morbis afflictos esse narrat. „Ubi trans Rhenum castris a Germanico Caesare promotis, maritimo tractu fons erat aquae dulcis solus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus dissolverentur. Stomacacei medici vocabant et Scelotyrben. Et malo reperta auxilium est herba, quae vocatus Britannica, non nervis modo et orimalis salutaris, sed contra anginas quoque et serpentes

olia habet oblonga nigra, radicem nigram. Succus ejus exprimitur ut ex radice. Frisii, qua castra erant, monstrare illam (1).“

Ejusdem generis symptomata Paulus Aegineta, de cirrho lienis dicens „os foetet, gingivae exeduntur, ulcera cruribus cicatricem non recipiunt,“ et plurimi Arabum scriptores antiqua recoquentes afferunt. Avicenna haec de Hippocratis „magnis lienibus,“ verba facit: „Et quandoque denigratur lingua ea duritie splenis et sentitur durities us absque rugitu cum premitur, nisi aggregetur ei inflatio non est cum ea febris inseparabilis, imo aliquando est non secundum ordinem; et quandoque multiplicantur cum ea ulcera crurum et corroduntur dentes ac gingivae propter viscositatem sanguinis, qui descendit in ulcera crurum, et corruptionem vaporis, qui descendit in omnes partes gingivarum, et quandoque est in ulceribus crurum crisis ejus.“

Digna mihi videtur, quae commemoretur, Galeni definitio melotyrbes. Paralysis genus esse dicit, qua recti incedere nequeunt, sed nunc in laevam, nunc in dextram corpus contorquent: interdum crus post se trahunt, ut acclives locos ascendentem faciunt. Galenus igitur imprimis lassitudinem permanentem urget paralyti similem, symptoma ubique recurrens. Unde morbum hodie scorbutum nominatum jam antiquitus existisse veteribusque notum fuisse puto. Alia quidam eorum est cognitio, alia nostra. Neque tamen endemius fuit in Graecia et Italia, quum causae praecipuae, scilicet aër frigidus, hu-

(1) Histor. 25. c. 3.

midus, herbarum olerisque inopia, meridianis illis regionibus Graeciae atque Italiae defuerint.

Endemius autem in terris ad septentrionem spectantibus inde ab omni tempore fuisse videtur, et plane non dubitamus quin Graecorum medicus maximus, si has regiones visitasset multo accuratius morbum descripsisset. — Scorbutum non multo post Plinii et Strabonis aetatem, limite imperii suo non contentum, longius latiusque septentrionem versus grassando in regiones, Germanico Oceano Belgicoque sinui adjacentes epidemium, non tamen pestilentem evasisse Salomo Albertus narrat.

Proximis vero annis regiones confines, ubi antea inauditus ex prava victus ratione proserpere coepit, ut jam Germania inferiori universae propemodum innotuerit. Alioquin amplissimo totius Germaniae superioris regno adhuc incognitus, quem admodum Italiae ac Hispaniae. Paullatim longius latiusque serpsit. Nec enim aquilonaribus septemque trioni subjectis populis nunc solum modo familiaris est, ut Salomo Albertus in proëmio libri sui duci Brunswicensi et Lunenburgensi dedicat docet, sed etiam iis qui prope Austros descendunt et mediterraneis, immo in ipso Germaniae meditullio innotuit, non tamen nullo prorsus discerniculo. Regnat in Misnia, Lusatia, finibus Bohemiae et Silesiae ad sylvam Hercyniam tractus Bructerorum, in Saxonia superiore et inferiore, in Holsatia, maxime vero in Dania et insula hujus Fionia. Symptomata autem fere eadem exstiterunt quam antea, gingivae putredo et crurum tumores; gemina mortis indicia scilicet, stomachice et scelotyrbæ. Cetera ancipitia sunt et vaga. Undecim annis postea (anno 1610) scorbutus mirifica cum rapiditate pe-

tum fere orbem terrarum progressus est. Indolem luis mu-
tam atque conjunctione cum syphilide magis letiferam esse
tam Eugalenus nobis explicat. „Syphili (haec sunt
rba) et scorbuto peculiare hoc nostro saeculo fuit, ut quam
agissime latissimeque sua pomeria dilatent et diffundant atque
ocul a generationis suae locis et terminis ad incognita et
nota loca excurrant evagenturque atque sub diametrali
tea, qua sibi invicem sub polorum oppositione, opposita
nt, se mutuo quasi amplectantur et inter se virus ac ve-
num suum communicent. Ita fit, ut hodie etiam Germa-
ae, Angliae, Galliae hic morbus innotescat, apud quos
tea ne quidem auditum ejus nomen fuit.“ (1)

Eadem tempestate clarissimos celeberrimosque medi-
s in hoc morbo tractando operam collocasse animadverti-
as, unde colligere licet, quam singularem curam in se
axerit morbus. Primum pro novo et adhuc incognito
bebatur, quod in omnibus summi momenti malis fieri
let, praesertim his temporibus, ubi scientiae artesque
imo florebant, ubi veteres auctores nondum omnino ma-
ous terebantur. Multi in scelera humani generis Deum
imadvertisse putabant, quorum in numero fuit Eugalenus,
i in libri de scorbuto praefatione eo nomine gratias Deo
it, quod tantam sapientiam, ut morbum istum poenam di-
nitus impositam cognovisset, sibi attribuerit.

Ceterum hanc luem non terrae solum propriam fuisse,
d etiam nautas et in mari degentes afflixisse constat.

(1) Eugalenus de scorb. p. 250.

Namque eo tempore, quo Columbus novum orbem detexerat, quo audacis navigatoris exemplo incitati multi longa itinera maritima obire ausi sunt, factum est, ut ex apparatus navium nondum satis bene instructo, multi huic malo succubuerint.

Prima scorbuti maritimi lues sub finem saeculi quindecimi grassata est. Vasco de Gama circa bonae spei promontorium primus in Indiam navigans (anno 1497) centum nautas, majorem sociorum navalium partem, scorbuto deperdidit (1). Liceat descriptionem mali primam afferre, nam operae pretium esse videtur, porro accuratius scorbuti indicia, quae Hakluit (2) in itinerum collectione nobis narrare perlustrare.

Morbus vorax et omnino incognitus nos aggredi coepit et brevissimo tempore ita grassatus est, ut alii viribus prostratus deficientibus pedibus constare non potuerint; postea crura tumefacta carbonum instar nigrescebant. —

Tendines se contrahebant, aliis cutis per totum corpus sanguinolentis maculis a pedibus ad genua usque obtecta erat; spiritus iis foetidus et gingiva tam putrida, ut particulatim decidens etiam radices dentium, quos tantum non omnes universos amiserunt, denudaverit. Atque haec quidem pestilentia medio mense Februario ita sese pervulgavit, ut e centum et decem viris vix decem integra valetudine utentes

(1) The history of the Portuguese discoveries by Herman Loper de Castaneda.

(2) Hakluit's collection of voyages vol. 3, p. 225.

superfuerint, neque quisquam alteri auxilium ferre potuerit, quod triste ac miserabile spectaculum fecit. Octo jam perierant et plus quinquaginta tam vehementer aegrotabant, ut nulla spes vitae fuerit. Atque, quum natura morbi hujus vobis prorsus incognita fuerit, unum ex cadaveribus aperire constituimus, si quo modo causas et originem mali perspicientes, superstitem vitam conservare possemus. Jam vero pestilentia ita increbuit, ut non plus quam tres sociorum nostrorum sani restiterint.

Quinque et viginti ex peritissimis et robustissimis nautis nostris hoc morbo absumpti sunt, atque ceterorum corpora adeo malo conficiebantur, ut omnino desperaverimus iis unquam firmam et integram valetudinem restitui posse, quando tandem nostrarum calamitatum miseruit, quod monstravit remedium, quo vires et corpora nostra refecta sunt.

Nauclerus forte noster, tristem statum sociorum suorum mente agitans ac glacie obambulans, agmen hominum coniecit ex urbe Stadagona adveniens, inter quos quidam fuit Comagala, qui ante dies decem duodecimve eadem hac peste laboraverat.

Quum nauclerus eundem validum atque sanum videret, praeter modum laetatus est, quippe sperans discere, quo ille remedio usus sit. Is respondit, succum arboris cujusdam adhibuisse, qui egregium hujus mali remedium esset. Hae arbor lingua eorum Ameda sive Hanneda vocatur. Aegrotantes nostri decoctum corticis et foliorum hujus arboris usurpaverunt brevique tempore omnino sanati sunt.

Nonnullos post annos idem malum in nova Francia homines vexavit. Miseri viribus paulatim omnino destituti

sunt, quum solidos cibos ad vitam necessarios propter putridas fungosasque in ore excrescentias comedere non possent. Moestum fuit, miseros paucissimis exceptis in tanta calamitate flore aetatis morientes videre, quum ne minimum quidem auxilium iis afferre potuerint. Triginta sex mortui sunt et totidem eodem morbo aegrotantes reconvalescere incipiente.

Tempus maxime letiferum tres primi menses incipientis anni fuerunt, ubi laborantes vulgo eodem ordine, quo morbo affecti sunt, occumbere soliti sunt.

Montsius quidam in Galliam reversus viros medicos de hoc mali, quod ex sua quidem sententia prorsus novum atque inauditum fuit, consuluit. Sed haud comperit, eos quando iterum profecti sunt, pharmaceuten docuisse, quae ratione in hoc morbo sanando uteretur.

Inde ab hoc tempore usque ad medium saeculum XVIII in omnibus fere magnis maritimis itineribus nautas vexavit eadem causae, eadem symptomata morbo propria manserunt. In classe Georgi Ansonis, annis 1740—44 circum orbem terrarum navigantis, scorbutus maximam nautarum partem obruit. Aër humidus laboresque permagni, uti ubique, praecipuae causae haberi possunt. In Centurione navi quadam intra mensem Aprilem quadraginta tres viri morbo succubuerunt, neque etiam agmen adepta erat lues.

Omnia, quae militum animos fregerunt, in deterius mutarunt morbum. Terribilis fuit devastatio, insula Juan Fernandes nacta, Centurio fere trecentos viros perdidit, navis Gloucester nominata fere eundem numerum; circiter octo-

ginta duo in hac navi aut reconvaluerunt aut sani remanserunt.

Morbus invalidos militesque maritimos potius quam nautas vexavit. Quo in itinere igitur ut in sequentibus praecipue tempestas malae indolis atque labores nimii causae habendi sunt, nec non vegetabilium inopia. Morbus evanuit, quum aegroti ruri versantes fructibus potissimum acidulis recentibus usi sunt.

Symptomata scorbuti maritimi dicti semper eadem fuerunt quam scorbuti rustici, quae ex omnibus eorum, qui ipsi oculis luem grassantem viderunt, descriptionibus satis manifeste sunt intelligenda. Saepissime, in omnibus ferme itineribus eo tempore factis malum nautis insidiosissimum fuisse scriptores affirmant. Melior morbi character ubique reddebatur, quum aegroti ruri cibos vegetabilis regni, quibus per longum tempus prohibiti sunt, edebant. —

Neque vero minus luem ruri longe lateque vagantem videmus. Praecipue milites obsidione pressi, malis, fame coelique asperitatibus vexati, morbi impetibus succubuerunt et nonnunquam maxima ad gentium historiam vis certe in fuit; quum ex temporibus vetustis usque ad hanc nostram aetatem epidemiarum impetus insidiosiores saepe fuerint quam hostium arma. Quo autem latius scorbutus proserpsit, eo minus singula persequi possumus.

Excellunt epidemiae Hollandiae annis 1556 et 1562. Vere ac autumnis plurimi aegrotabant Balduino Rousseo auctore. Homines cujuscunque aetatis constitutionisque morbo invasi sunt, senes maxime succubuerunt.

Epidemia Brabanti anno 1556 secalis depravati usu exorta esse fertur (1).

Est porro memorabilis ea, quae in Marchia veteri, praecipue in oppido Soltquell nominato anno 1608 grassata est (2), itemque quae exstitit in Hollandia anno 1624 (3), pesti orientali antecedente; in Gallia australi a. 1640 (4); Wiburgi anno 1732. Permulti homines morbo ab initio anni usque ad Augustum mensem vehementer grassanti succubuerunt. Plethorica praediti constitutione praecipue inflammationibus scorbuticis, anaemici doloribus magnis, odontalgia vexabantur, intumescentiis crurum oedematosi potissimum laxi corporis homines. Appetentia morbo ineunte evanescebat, redibat autem diarrhoea exorta. Gingiva fungosae materiae similis vehementer foetebat, glandulae salivales, interdum scirrhone induratae, tantum salivatione spontanea emollebantur (5).

Eodem anno (1732) Thoruni obsidionis tempore scorbuticam luem militibus perniciosissimam fuisse Bachstrom refert (6).

Quinque vel sex millia militum praesidiariorum, prae-

(1) Dodonaei praxeos med. lib. 2. cap. 62.

(2) Greg. Horst. tract. de scorb.

(3) Frederic van der Mye.

(4) Lazari Riverii prax. med. lib. 12. cap. 6.

(5) Abrah. Nitsch histor. scorb. Wiburgi regnantis. 1734. p. 162.

(6) Bachstrom observat. 1734.

terea incolarum ingentem multitudinem morbus interfecit, quod factum causa fuit traditionis praecipua. Suevi enim obsidentes sani atque integri remanentes urbem occuparunt. Alio loco idem auctor luem commemorat, quae in Hungaria grassata est belli cum Turcis ultimi tempore. Exercitus imperatorii, desertis regionibus hiemem transigentis multa millia militum morbo consumpta sunt, praefectorum autem nullus. Optimi quidem effectus remedia adhibens medicus, tamen pestem tam letiferam fugare non potuit; e contrario latius serpsit hierno tempore. Ver autem herbaeque virides modum ac terminos morbo statuerunt (1), quem eodem fere tempore in Italia invenimus. Praesidii Germanici, quamquam procul a mari castra posuerunt, major obruta est pars.

Praefectus Italicus ipse aegrotans a Germanico medico paucis diebus Nasturtio aquatico in usum vocato restitutus est (2).

Accuratissime Damianus Sinopaeus scorbuti epidemiam Coronae annis 1731—33 grassantem describit. Tempestate humida antecedente febres catarrhales per viginti circiter dies mensis Februarii dominabantur, deinde pleuritides, pneumoniae, febres intermittentes sequutae sunt et mense Martio anni 1731 scorbutus fere solus praevaluit. Initio perpauca invasit, paulo autem post plurimi hoc malo aegrotabant; praecipue per m. Aprilem et Majum vehementissime saeviens

(1) Ejusdem libr. V. Lind's Abhandlung vom Scharbock. 2. Ausg. Aus d. Engl. von Pezold. p. 589.

(2) Lind. p. 589.

medio Julio decrevit, tempestate tepida exorta. Miliaria saepissime et interdum scabies sese cum scorbuto conjungentes morbum etiam maligniorem reddiderunt. Tumores sanguine nigro livido impleti, vibices nominati, exulcerationes carne putrida fungosaque circumdatae apparuerunt. Omnes prope ex aliis morbis in nosocomiis reconvalescentes scorbuto vexabantur. Minoris tamen fuerunt momenti epidemiae annis sequentibus (1).

Anno 1736 Asoviae praesidium a scorbuto correptum esse Abraham Nitschius in libro suo de scorbuto narrat. Aër perpetue humidus, modo frigidus modo calidus fuit, lignum defuit, ita ut milites inediae atque aliorum patientes magna inopia sint pressi. Per tres menses obsidium duravit et ingens multitudo hominum mortua est. Praeter naturae vires morbi castrenses, diarrhoea, febres quartanae, acerrimi animi motus, denique labores permagni causae sunt iudicandi.

De epidemiis, quae in Russia australi hoc tempore reperiiebantur, idem auctor, quem jam supra commemoravimus, verba facit.

Vratislaviae scorbutus anno 1758 epidemius exstitit (2).

Temporibus procedentibus scorbutus benigniorem accepit naturam et ad eas regiones, quibus semper fuit endemius, rediit terminosque sibi constituit, extra quos rarissime egressus

(1) V. Lind. p. 596.

(2) Von den Krankheiten einer Armee, aus eigenen Wahrnehmungen aufgezeichnet von Dr. E. G. Baldinger. P. III, Cap. 3. de scorb.

est. In Russia septentrionali nunc temporis interdum epidemiam induere fertur indolem. — —

Quibus explicatis opera dignum nobis videtur causas, quas scorbutum effecisse historia docet, praecipuas afferre.

Inprimis huc pertinet tempestas. Aërem humidum maxime scorbutum favere semper est observatum. Quum autem non sit dubium, quin aura maritima humidior sit quam terrestris, neque est mirandum, quod frequentius in itineribus maritimis extiterit morbus quam in terra, praesertim quum labores, quos nautae perpetiuntur, multo majores esse solent quam ii, quibus homines in terra versantes sunt expositi. Nemo prorsus calamitates mirabitur, quae Ansonis quum circa promontorium Horn nominatum navigaret, socios navales vexavere, si viros diu in uvidis cellis sive in uvidis lectis vel adeo in navis constrato dormientes tegumentis foventibus omnino caruisse legerit. Alia causa frigus est, quod ubique morbum maligniorem reddidit et cum humiditate conjunctum maxime inter omnes causas eminent praedisponentes, id quod jam Olaus Magnus cognitum habuit, frigida atque humida domicilia huic malo favere dicens. Idcirco in navibus praesertim nauticos saepissime, praefectos autem quibus meliores sunt cellae et lecti rarius aegrotantes videmus. Eadem ex ratione scorbutus hiberno tempore frequentior est quam aestivo, frequentior in regionibus ad septentrionem spectantibus quam in meridianis. —

Deinde herbarum olerisque inopia causis adnumeranda est. Olera recentia fructusque maturos non solum optima contra scorbutum remedia, sed etiam efficacissima morbi tutamenta

semper fuisse historia docet. Sed multae etiam aliae causas existunt, scilicet animi motus, morbique debilitantes.

Reconvalescentes cibos navales edentes in primis affici solent, eodemque modo ii, qui corporis motus et exercitia neglexerunt: quod ita esse ex anni 1746 epidemia manifeste intelligendum est. Inprimis ex scorbuto restituti postero anno iterum eodem morbo concipiebantur. Nonnulli scriptores cibum salitis carniq̄ue salitae culpam attribuerunt, quod non ita se habere, jam celeberrimus ille Lind demonstravit atque experientia confirmavit. Praebuit hic medicus aegrotis sal purum per quatuordecim annos, et eos neque pejores neque meliores redditos vidit. —

Sed omnes, quas enarravimus, res omni aetate existebant, nec tamen unquam scorbutus tam malignus fuit quam saeculo quindecimo et sequentibus. Ista aetate quidem eadem adhibitae sunt remedia quam nostra, tamen scorbutus crescebat ac longius latiusque proserpebat, omnes hominum labores illudens. Alia igitur causa nobis exstitisse videtur, causa quaedam interna nobis obscurior. Sine ullo dubio terrae nostrae magna inest vis in generis humani statum. Revolutiones telluricae etiam naturam, quam videmus, animumque hominum revolvunt. Nunquam enim lues tanta, ut scorbutus illius temporis singulare est phaenomenon, sed omnia potius nexa inter se et apta colligataque videntur. Cohaerent re vera periodi, in quibus quod in nobis procreatum est, producitur, cum aliis terrae mutationibus et internis et externis. Sterilitas annonae, tempestatis iniquitates, bella exardescencia, nova magni momenti inventa, novae animorum revolutiones una eademque causa efficiuntur. Aetas autem illa, qua exortus est scorbutus et aliae

ues, excellit America detecta, arte typographica inventa, reformatione rerum et politicarum et ecclesiasticarum. At vero nobis haec omnia aequae ac ea, quae in rerum natura, in atmosphaera facta sunt, inter se nexum quendam habere videntur, quod idem reperimus historiam saeculi ultimi perlustrantes. Inprimis septimum hujus saeculi decennium excellit. Circa enim annum 1770, quo pestes universum fere orbem pervaserunt, maxime tempestatis vicissitudines exstiterunt, terrae motibus conquassatae sunt, revolutiones politicae et philosophicae incipiunt. —

Attamen ut morbus acmen nactus postea paulatim evanescit, item morbi epidemii generales quoque, postquam per longum tempus depopulatione animos in summum coniecere timorem, ad pristinam indolem bonam redeunt.

Epidemia generalis fere idem est generi humano, quod morbus singulus uni homini. Docet autem historia alias morborum epidemias per saecula ad exitum adduci, alias vero revivissimum tempore orbem terrarum pervadere. Ad has quibus epidemiarum acutarum nomen (sit venia voci) attribuatur, plerumque pestes pertinent, atque nonnullos ante annos modo hujus generis epidemia multorum vitam extinxit: Cholerae nomen. Epidemiis autem chronicis, ut ita dicam, annumeranda sunt syphilis itemque lues scorbutica. Ut in epidemiis acutis morbi singulorum sunt acuti, sic in chronicis chronici, quod in syphilide nec non in scorbuto satis patet. Febris tantum in gravissimis exstitit casibus, potissimum in hominibus plethorica constitutione praeditis. Acutior etiam scorbuto maritimo, quam terrestri fuit decursus. Paulatim pro epidemiae indole malum levius leviusque factum ad pristinam rediit bonam na-

turam, quam ad hanc aetatem usque qua causae internae desunt, servavit. Sed haec hactenus. Restat historia sententiarum de natura scorbuti prolatarum.

Opiniones de causa hujus morbi proxima fere innumerabiles sunt, nec mehercule operae foret pretium, diversa de hoc malo judicia deinceps omnia enumerare. In classes igitur eas describamus. Pars enim altera medicorum sanguinem atque fluidas corporis partes morbo affectas esse putat, pars vero altera praecipue solidis culpam tribuit. Illa de causa proxima sententia antiquior videtur. Antiqui jam succorum putredinis symptomata ad scorbutum pertinenti attribuerunt. Joannes Echterus, qui primus de scorbuto scripsit, sanguinem depravatam scorbuto proprium putat. Eodem modo Salomo Albertus judicat: „nascitur tam ex hypochondriacorum viscerum partiumque nutriciae in prima regione corporis circumsitae, quam praecipue ex humorum cacochymia seu impuritate.“ Wierus in libello de scorbuto morbum arctius definit. Scorbutum esse dicit, quando propter splenis obstructionem impediatur attractio humoris melancholici, qui reliquo sanguini commixtus universum corpus tabida corruptione inficiat, tum puniceis lituris crura defoedans ex crassiorum sanguinum partium decubitu, tum portione tenuiore sursum elata teneras gingivas acri corrosione et putrida carnis excrementa vitians. —

Plurima haec in obscuris hypothesebus consistere facile intelligi potest. Quod theorias attinet, quae pro tempore maxime valebant, dyscrasiae sanguinis accuratius constituebantur. Boerhave et L. Hoffmann in eo consentiunt, omnes scorbuti species uni causae assignandas esse. In sanguine enim arbitrantur partes serosas vel aquaticas esse, simul

crassamento separatas, ita ut illae nimis liquidae acidulae sint, hoc autem nimis densum. Boerhave sese vix plura sulphurum saliumque genera in hermeticorum ergasteriis quam in sanguine scorbuticorum reperisse contendit. Acrimonium inest modo acidum, modo muriaticum, modo foetido-alcalinum, modo acidum.

Hoffmanno, qui solum alcalinum vel acidum esse acrimonium putat, auctore salivatio, dolores, vagi, haemorrhagiae praecipue liquidis, dolores fixi autem, intumescen-
 tiae densioribus sanguinis partibus efficiuntur. Linnaeo morbus consistere visus est in sola dyscrasia muriatica et cum salsedo haec muriatica inficiat humores, nec expellatur, scorbutum oriri existimat. „Salsedine infectus sanguis, in pael-
 lam orichalci immissus, mox hanc rodit. Gingivas et dentes rodit saliva, quae si in ignem exspuatur, magis crepitat; matula ab urina incrustatur magis tartaro, quam ab aliis urinis; corrodit haec vasa lymphatica et minimas fibras callosas facit, homines sic reddit tardos, in majori gradu pedes oedematosos et pectus asthmate gravatum ab hydrope mediastini seu thoracis, quo plerumque pereunt.“

Jakson in nimiam oxygenii quantitatem culpam convertit, alii vero medici in ejusdem materiae inopiam. Mak-
 ridge carbonis inopiam, Puchelt praevalentem venositatem accusat. Magno cum acumine causam proximam Harless explicat. Sanguinis cruor diminutus est, itemque fibrina et gelatina, albumen decompositum, oxygenii atque nitrogenii inopia, liquidi atque carbonis abundantia.

Pars autem altera solidas praesertim corporis humani partes hoc malo affectas esse contendit. Lind primus hanc

sententiam accuratius disseruit, quam liceat brevi explicare.

Sanitas dependet a tono quodam fibrarum, quo diminuto debilitatoque assimilatio et nutritio parum procedunt, secretiones imminuuntur. Partes autem corpus componentes putrescunt, nisi urina atque exhalatione insensibili a nocentibus materiis liberatur sanguis. Quum vero plurimae scorbuti causae organa debilitent et excretiones minuunt, hac de causa succi putrescunt. Debilitas partium solidarum putredinem fluidarum efficit.

Utraeque opiniones non ita commodae justaeque mihi videntur, ut illa, quam Baumgaertner in suo de pathologia et therapia speciali libro nuperrime nobis proposuit. Morbus scilicet hoc auctore modo solidarum, modo fluidarum plerumque autem utrarumque partium affectione oriri potest. Sanguis directe cibis non convenientibus et suppressa exspiratione depravatus; solidum autem corporis systema, imprimis nervosum ex laboribus nimis, animi motibus patitur. Alterum in alterum habet vim. Sanguis depravatus organa nutritionis irritat atque debilitat, nervi debilitati etiam vim sanguinis vitalem minuunt: qua re et hic et aliae corporis materiae, ut in typhosis febribus vel in paralysibus conspicimus, depravantur. —

V E T T A.

Natus sum ego, **ULRICUS FRANCISCUS FRIDERICUS VETTIN**, Sedinii die vicesimo quarto mensis Maji anno hujus seculi vicesimo, patre **FRIDERICO VETTIN**, matre **HENRIETTA** e gente **BECKER**. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum rudimentis in gymnasio Sedinensi, quod adhuc direttore celeberrimo **HASSELBACH** floret, instructus sum. Novemdecim annos natus gymnasium reliqui, Berolinum me contuli et rei medicae per octo semestria operam dans, hasce adii scholas:

Psychologiam accepi a Cel. **BENEKE**, logicen ab Ill. **RENDELENBURG**, philosophiae historiam a Cel. **MICHELET**, geologiam ab Ill. **SCHLEMM**, chemiam experimentalem a Cel. **MITSCHERLICH**, physicen a Cel. **DOVE**, physices historiam a Cel. **POGGENDORFF**, zoologiam ab Ill. **LICHTENTHEIN**, infusoriorum demonstrationes ab Ill. **EHRENBERG**, botanicen ab Ill. **KUNTH**. Anatomiam universam et comparatam et pathologicam et physiologiam me docuit Ill. **MUELLER**, artem corpora rite secandi idem et Ill. **SCHLEMM**,

materiam medicam Cel. C./G. MITSCHERLICH, pathologiam
generalem Cel. ECK, medicinae historiam Ill. HECKER, pa-
thologiam et therapiam specialem Ill. SCHOENLEIN, chi-
rurgiam Ill. JUENGKEN, artem obstetriciam Ill. BUSCH,
medicinam forensem Ill. WAGNER, diagnosticen Cel. ROM-
BERG.

Clinicis interfui institutionibus chirurgicis Ill. JUENGKEN,
pathologicis Cel. WOLFF, obstetriciis Ill. BUSCH. Simul
a Calendis mensis Novembris a. pr. usque ad finem
Octobris h. a. in legione velitum chirurgi militaris munere
voluntarius duce Ill. Dr. DOERING functus, reipublicae le-
gibus satisfeci.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico,
nec non examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut
dissertatione thesibusque publice defensis, gratiosa facultas
medica summos in utraque medicina honores in me benevole
conferat.

P R E S E S.

- . Errare — vita, scire — mors.
 - . Illud philosophorum cessante causa cessat effectus, interdum in medicina non probatur.
 - . Scorbutus veteribus notus est.
 - . Morbus universalis non existit.
 - . Non omnes morbi debent sanari.
 - . Homoeopathia aliquando prodest eo quod haud nocet, saepe nocet quod non prodest.
 - . Natura sanante, medico curante multi male curati sanantur.
-

W. H. B. B. B. B.

— the — — —

that philosophy, and the course of the world, in the

and in the world, and the world, in the

and in the world, and the world, in the

and in the world, and the world, in the

and in the world, and the world, in the

and in the world, and the world, in the

and in the world, and the world, in the

and in the world, and the world, in the

and in the world, and the world, in the

and in the world, and the world, in the

NARROW GUTTERS

(1-2 CHARACTERS

LOST ON

SEVERAL PAGES)

